



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Eidem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

sulto Romano Pontifice ipsius recipiatis cum responso mandatum qui omnia consuevit æquo libramine moderari, cum hoc ipsum in prædicta forma contineatur expressum, quod vos pro Ecclesia contra violatores securitatis & pacis debetis mandatis apostolicis inhærere. Datum Laterani 11. Kal. Novemb. pontificatus nostri anno sextodecimo.

**NICOLAO TVSCVLANO**  
*Episcopo apostolicæ sedis Legato.*

*Epist. 313.  
De absolutio-  
ne Regis Angl.*

**C**vm de carissimo in Christo filio nostro Iohanne illustri Anglorum Rege ac ejus regno, quod ad Romanam Ecclesiam ex ejus dono jure pertinet specialiter, oporteat nos curam & sollicitudinem gerere diligentem, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus, postquam relaxatum fuerit interdictum, venerabilibus fratribus nostris Stephano Cantuariensi Archiepiscopo S. R. E. Cardinali & coëpiscopis ejus ex parte nostra districte præcipias quatenus omnes litteras, tam priores quàm posteriores, impetratas à nobis contra eundem Regem si formam pacis non duceret admittendam, illasque præsertim quæ sic incipiunt, *Expectantes hactenus expectavimus*, per regnum Franciæ, Angliam, Scotiam, & Hiberniam ad Archiepiscopos & Episcopos, necnon Leodiensem & Trajectensem Pontifices destinandas, tibi sine diminutione aliqua repræsentent, easque protinus facias minutatim incidi vel igne comburi, ne contra eum ipsarum occasione quicquam sinistra valeat attentari; ipsos ad hoc, si necesse fuerit, districtione qua convenit compellendo. Datum Laterani 11. Kalen. Novemb. pontificatus nostri anno sextodecimo.

*E I D E M.*

*Epist. 314.  
De eadem re.*

**F**raternitati tuæ præsentium auctoritate mandamus quatenus postquam interdictum Angliæ fuerit relaxatum, omnes conjurationes & factiones, si quæ occasione discordiæ inter regnum & sacerdotium factæ sunt, denunties auctoritate nostra irritas & inanes, cum causa cessante cessare debeat & effectus. Datum Laterani 11. Kal. Novemb. pontificatus nostri anno sextodecimo.



**ARCHIEPISCOPO ET**  
*Episcopis & nobilibus viris Baronibus, Militibus, necnon & universis populis per Angliam & Walliam constitutis.*

**C**vm per ipsius gratiam qui discordantes parietes in se angulari lapide copulavit, vera pax & plena concordia sit inter regnum & sacerdotium in Anglia reformata, nos, qui tenemur curam & sollicitudinem gerere specialem de carissimo in Christo nostro Iohanne illustri Anglorum ac ejus regno, quod ad Romanam Ecclesiam per donum ipsius speciali jure noscitur pertinere, sibi & heredibus suis providere volentes, per apostolica vobis scripta mandamus atque præcipimus quatenus in fidelitate ipsius Regis ac heredum suorum prompto animo & corde sincero perseverare curetis, tales vos circa devotionem ipsius per omnia exhibentes quod tam à nobis quàm ipso debeatis merito commendari, scientes pro certo quod nos ad ipsius commodum & honorem efficaciter aspiramus. Datum Laterani v. Kal. Novembris, pontificatus nostri anno sextodecimo.

*In eundem modum scriptum est Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus, & ceteris Ecclesiarum Prelatis & nobilibus viris Principibus, Comitibus, Baronibus, & universis Militibus, & populis per Hiberniam constitutis.*

*In eundem modum Willelmo illustri Regi Scotiæ, & nobili viro Alexandro filio ejus.*

**ROBERTO TITVLI SANCTI**  
*Stephani in Cælio monte Presbytero  
Cardinali apostolicæ sedis Legato.*

**C**vm per ipsius gratiam &c. ut supra usque mandamus quatenus nobis in contultis in cismarinam terram ipsius non proferas aliquo modo sententiam interdicti. Datum Laterani v. Kal. Novemb. pontificatus nostri anno sextodecimo.

**NICOLAO TVSCVLANO**  
*Episcopo apostolicæ sedis Legato.*

**O**lim venerabilibus fratribus nostris Stephano Cantuariensi Archiepiscopo S. R. E. Cardinali, Willelmo Londoniensi, Eustachio Eliensi, Ægidio Herefordensi, & Huberto Lincolnensi Episcopis apostolicis dedimus litteris in mandatis quatenus concessionem, pactionem, sive promissionem quas Clerici seu religiosi viri cujuscunque professionis vel ordinis Iohanni Regi Angliæ super ablati vel extortis post interdictum fecerunt quod minus ipsa restituantur ad plenum denuntiarent irritas &

*Epist. 315.  
Super eodem.*

*Epist. 316.  
Super eodem.*

*Epist. 317.  
Super eodem.*